Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36520
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Mire infulatus. festa uittis tempora.
Nexus corona tu repexus aurea.
Cinctu gabino sericam fultus togam.
Tabulis supne strata texunt pulpita.
Rimosa rari pegmatis compagibus.
Scindunt subinde vel terebrant aream.
Crebroque lignum perforant acumine.
Pateat minutis ut frequens hiatibus.
Huc thaurus ingens fronte torua et hispida
Sertis reuinctus aut parmos floreis
Aut impeditus cornibus deducitur
Nec non et auro frons coruscat hostie
Setasque fulgor brattealis inficit.
Hic ut statuta est ymmolanda belua.
Pectus sacrato diuidunt uenabulo.
Cructat amplum uulnus undam sanguinis
Feruentis. inque texta pontis subditi
Fundit uaporum flumen. et late estuat.
Tum perfrequentes mille rimarum uias
Illapsus ymber: tabidum rorem pluit.
Defossus intus quem sacerdos excipit.
Guttas ad omnes turpe subiectans caput.
Et ueste et omni putrefactus corpore.
Quin os supinat obiectas offert genas.
Subponit aures. labra. nares obicit.
Oculos et ipsos pluit liquoribus.
Nec iam palato parcit. et linguam rigat.
Donec cruorem totus atrum combibat.
Postquam cadauer sanguine egesto rigens
Compage ab illa flamine retraxerunt.
Procedit inde pontifex uisu horridus.
Ostentat udum uerticem. barbam grauem.
Uittas madentes. atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis.
Tabo recentis sordidum piaculi.
Omnes salutant atque adorant eminus.
Uilis quod illum sanguis et bos mortuus
Fedis latentem sub cauernis lauerint.
Addamus illam uis heccatontem tuam.
Centena ferro cum cadunt animalia.
Uanaque habundans cede restagnat cruor:
Uix ut cruentis augures natatibus
Possint meare perfundum sanguinem.
Sed quid macellum pingue puluinarium
Quid maximorum lancinatores gregum
Cuiscerata carne crudos criminum
Sunt sacra quando uosmet ipsi exciditis.
Uotiuus et cum membra detruncat dolor:
Cultrum in lacertos exerit fanaticus
Sectisque matrem brachiis placat deam
Furere acrotatis ius putatur mysticum.
Parta ad secandum dextra fertur impia.
Uelum meretur uulnerum crudelitas.
Ast hic metenda dedicat genitalia.
Numen reciso mitigans ab inguine
Offert pudendum semiuir donum dee.
Illam reuulsa masculini germinis
Uena effluenti pascit auctam sanguine.
Uterque sexus scitati displicet.
Medium retentat inter alternum genus
Mas esse cessat ille nec fit femina.
Felix deorum mater inberbes sibi
Parat ministros lenibus nouaculis.
Quid cum sacrandos accipit frigitidas